

GAZA.

Fluida elastica, aëra.

GAZ OXYGENIUM.

Oxygenium principio calorico unitum.

SYN. *Aërvitalis s. purus, s. dephlogisticatus.*

Atmosphæra constat hujus gazis part. 27, et gazis azotici part. 73.

℞. Oxydi manganesii nigri quantum placet.

Expone in retorta vitrea igni ut humidum æque ac aër atmosphericus ei adhærens abigantur; dein collum retortæ cum excipulo amplo aut camera plumbo obducta luto sollicite junge, et ignem gradatim auge ut massa incandescat. Camera aëre atmosphærico antlia pneumatica prævie evacuetur, vel initio operationis per aliquot temporis spatium aëri exitus permittatur.

Usus hujus gazis pulmonibus inflati: Asphyxia suspensorum, submersorum et vapore carbonum aut alio fluido elastico nocivo vita apparenter privatorum. — Inspiratio hujus gazis nuper etiam laudata fuit in asthma aliisque morbis pulmonum atonicis.

GAZ AZOTICUM s. NITROGENIUM.

Azotum principio calorico junctum.

GAZ AZOTICUM s. NITROGENIUM.

Azotum principio calorico junctum.

GAZ AZOTICUM OXYGENATUM.

Obtinetur exponendo igni in vase vitreo
Nitratem ammoniacæ.

VIRTUS : Exhilarans, actionem systematis
muscularis augens.

USUS *inspirando* : Asthenia muscularis; pa-
ralysis; asthma?

GAZ HYDROGENIUM.

Hydrogenium principio calorico junctum.

SYN. *Aër inflammabilis*; *gaz inflammabile*.

GAZ HYDROGENIUM SULFU-
RATUM.

Gaz hydrogenium portionem sulphuris so-
lutam tenens.

SYN. *Aër hepaticus*.

Obtinetur decompositione aquæ mediante
sulfureto alcalino aut calcareo.

USUS ad aquas minerales sulfuratas arte pa-
randas.

GAZ HYDROGENIUM CARBONATUM s. HYDRO-CARBONATUM.

Gaz hydrogenium portionem carbonis solutam tenens.

Obtinetur instillando aquam in carbones arduentes vase clauso in apparatu proprio ab amico meo J. WATT invento et descripto. (Vide *Supplement to the Description of a pneumatic apparatus. Birmingham, 1796.*)

USUS moderatus et cautus inspiratione: Hæmoptysis; tabes pulmonalis ulcerosa; catarrhus; tussis ab acri; pneumonitis.

NB. Incaute aut diutius inspirando, apoplexiam et mortem inducit.

GAZ ACIDUM CARBONICUM.

Acidum carbonicum calorico unitum.

SYN. *Aër fixus; acidum aëreum.* BERGM.

Aër mephiticus, Mofetta quorundam.

Vide ACIDUM CARBONICUM.

USUS: Ad aquas minerales acidulas, acidulo-alcalinas et acidulo-ferrugineas parandas. —

Item ad alcalia hoc acido saturanda.